

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



65  
COLLEGII TERTII  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XXXII.

ET ULTIMA.

continens

ANTIŒZINARTICVLI VII.

De Ecclesia,

*Et in specie*

De Primatu Petri; quod ille de-  
struatur comparatione Petri & Pauli.

*Proposita*

In Electorali Academia VVittebergensi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

RESPONDENTE

JOHANNESuttermue / Prausnic. Sil.

*In Auditorio Collegii Veteris*

*Ad diem 20. Februarij.*

---

WITTEBERGÆ,  
Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTH, Acad. Typogr.  
ANNO M DC XXXI.

COLLEGII TERTII  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XXXIII  
ET ULTIMA

CONTINENS  
ARTICULOS ARITHMETICOS VII

De Ecclesia

De Primatu Petri: quod ille de  
struat comparationem eius & suis

In Electorali Academia Vitebergensi  
P R A E S I D E

JACOBO MARTINI S. J. P.

Doct. & Prof. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Aedific. Praefecto

RESPONDENTE

JOHN ANNE BURNHEIM, Praefecto Sch.

In Auditorio Collegii Veteris

Ab die 10. Junii

EDITORE

Officina Typographica AMBROSII ROTHII, Aed. Typogr.

ANNO MDCCLXXII





D. O. M. A.

*Continuatio.*

**S**uperest adhuc ultimum argu-  
mentum, à Becano ex Marco Antonio  
de Dominis adductum, à Comparatio-  
ne Petri & Pauli desumptum, quo hic  
primatum Petri destruit, Jesuita vero id  
refutare satagit: quid autem utrinq; præstitum sit, sub-  
sequens examen manifestabit.

T H E S I S I.

Sic ergo illud proponit Becanus §. 56. *Septima obiectio ex  
comparatione Petri & Pauli. Hanc comparisonem instituit ex  
scriptura, & Patribus. Ex scriptura sic: sicut Petro dictum est, pa-  
sce oves meas, id est, commendo tibi ovile meum, Ecclesiam meam. :  
Ita Paulus de se ipso dicit 2. Cor. 11. v. 28. se premi cura & sollicitu-  
dine omnium Ecclesiarum; Ergo non minus Paulo, quàm Petro to-  
tius Ecclesie cura commissa est.*

II. *Consequentia est firma & certa: Nam premi cura &  
sollicitudine Ecclesiarum, si non majus, omnino tantum est, quantum  
pascere oves Christi.*

III. *Respondet Becanus §. 57. Cura & sollicitudo Eccle-  
siarum duplex est. Una oritur ex justitia: altera ex Zelo & Char-  
tate. Prior debet esse in praelatis Ecclesie, qui habent jurisdictionem  
Ecclesiasticam. Posterior potest esse in omnibus, qui Charitate præ-  
diti;*

A 2

dit;

dicti sunt. Igitur Petrus habuit curam Ecclesie ex Justitia, quia habuit Jurisdictionem in totam Ecclesiam; quae Jurisdictio significatur per verbum, pascere, ut capite tertio explicatum est. Paulus vero loquitur de posteriori cura & sollicitudine, quae oritur ex charitate. Cum enim recensisset labores, carceres, plagas, famem, sitim, & alias miseras, quas pro Christo sustinebat; mox subiicit: Præter illa, quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? His posterioribus verbis explicat, unde oritur illa sollicitudo: Nempe ex duobus actibus Charitatis. Primo, ex dolore charitatis, quem percipiebat ex miseria proximi. Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor? quasi dicat: Infirmor cum infirmantibus, doleo cum dolentibus, lugeo cum lugentibus. Secundo, ex amore & Zelo charitatis, quo accensus urebatur. Quis, inquit, scandalizatur, & ego non uror? quasi dicat, quando aliquis patitur scandalum, tanto Zelo, ac amore accendor ad tollendum illud scandalum, ut quodammodo uri videar. §. 58. Non igitur cura Ecclesiarum, de qua Paulus loquitur, oriebatur ex obligatione justitiae; sed ex duplici actu charitatis, dolore scilicet: & amore.

IV. Regerimus, Committi in responsione Becani petitionem principii: supponit enim id, quod adhuc in quaestione est: nimirum Jurisdictionem: de qua quaestio volvitur, an Petro, præ omnibus alijs sit commissa. Si autem aliquid ratione jurisdictionis alicui volo tribuere, & in eo illum ab alijs, qui jurisdictionem non habent, aliàs verò eadem cum illo obtinent axiomata & dignitates, distinguere; tum oportet, ut ante illam distinctionem certus sim, illam isti, cui tertium tribuo, revera competere. Quocirca hinc nequaquam dicere possum, in Petro curam & sollicitudinem Ecclesiarum esse ex justitia, quia habeat jurisdictionem in totam Ecclesiam: Paulum autem non ex justitia eandem habere: quia non habeat jurisdictionem in totam Ecclesiam. Quandoquidem id, quod ut ratio adfertur pro Petro, debebat esse conclusio; siquidem est quaestio; an Petrus habeat jurisdictionem? Habet, inquit Becanus. Quare? quia premitur cura & sollicitudine omnium Eccle-

**Ecclesiarum ex justitia.** Quare autem hoc? respondet Becanus: quia habet jurisdictionem in totam Ecclesiam; Ergo juxta Becanum Petrus habet jurisdictionem in totam Ecclesiam: quia habet jurisdictionem in totam Ecclesiam.

V. Deinde altera petitio principii est: *Petrus cura & sollicitudine ex justitia pendente, vel orta premitur: Ergo habet jurisdictionem Ecclesiasticam.* Nam addita ratio (*Cura & sollicitudo orta ex justitia debet esse in illis, qui habent jurisdictionem Ecclesiasticam*) illud vitium non tollit. Ejusmodi enim inde formatur syllogismus: *Quicumque premitur cura & sollicitudine Ecclesiarum omnium, orta ex justitia, ille habet jurisdictionem Ecclesiasticam. Petrus premitur ejusmodi cura & sollicitudine ex justitia, non Paulus. Ergo Petrus, non Paulus habet jurisdictionem in totam Ecclesiam.* Sed nego majorem: laborat enim fallacia à dicto secundum quid. Nam non omnis, qui premitur cura & sollicitudine, orta ex justitia, statim habet jurisdictionem; sed sufficit, si habeat officium Ecclesiasticum, sive (ut hoc loco) Apostolicum: ubi etiam ab ejusmodi Apostolo jure commisso officii requiritur, ut curam gerat omnium Ecclesiarum.

VI. Deinde in minore rursus nova est petitio principii. Primum, quod tantum ponatur in Petro cura & sollicitudo ex justitia; in Paulo verò cura quidem & sollicitudo; sed non ex justitia; sed tantum ex zelo & charitate. De Petro enim tantum dicit, *quod illi cura ista alio modo, quam Paulo, insit*, non vero probat: de Paulo quidem conatur probare, quod Zelo & charitate insit; sed non probat; quod non eodem modo & Petro insit. Deinde ponamus, ex textu Paulino probari posse, in Paulo ex Zelo & charitate curam & sollicitudinem esse omnium Ecclesiarum: non tamen statim demonstrabitur, simul illà probatione negari, istam etiam in eodem Paulo esse, ex justitia & jure officii sui: quando quidem hæc causa, ratione hujus effectus, optimè simul stare possunt. Manifestum ergo est, quod planè nihil probet Jesuita.

VII. Quod autem Paulus non tantum respectu charitatis & Zeli: sed etiam officii sui ac muneris Apostolicis

quod jure ejusmodi curam ab ipso postulet, illam sibi tribuat, ex contextu est manifestissimum: & quidem non tantum hoc, sed etiam, quod Becanus textum Paulinum non intelligat, sed glossis suis corrumpat. Loqui enim Apostolum de suo officio, & non de suo principaliter Zelo, & charitate ( licet hæc ipsa non excludantur, siquidem ut quilibet, sic cum primis Apostolus Paulus, cum pio Zelo & vera charitate suum fecit officium ) ipse disertis verbis docet v. 23. inquit, *Ministri Christi sunt? excello ego.* Et ab hoc versu continuatâ oratione, usq; ad v. 28. agit de suo officio & ministerio Apostolico, docetq; plus se laborasse quam adversarios, in unum conflatos & indefessa diligentia laborum suorum in officio faciendo fidem testatam reddidisse: illud autem plenum fuisse non tantum periculorum diversissimi generis; sed laborum quoq; & molestiarum, quin & vigiliarum, ut necesse habuerit, noctes interdum insomnes traducere: sed & cum fame sitiq; fuisse ei conflictandum multoties: neq; etiam abundasse opibus, sed pauperem fuisse in hoc mundo; quod & *1. Cor. 4. & 2. Cor. 6.* non dissimulat: insuper jejunia sibi indixisse voluntaria, ut ad faciendas preces alacrior esset & expeditior: frigoris quoque incommoditatem expertum esse hybernis itineribus, idque malum ipsi auctum esse, quod accedebat nuditas, de qua *1. Cor. 4.* conqueritur.

VIII. In hunc porrò catalogum malorum & tribulationum refert quoq; v. 28. suas curas, quibus non pro se, sed pro alijs fuerit sollicitus, ideoq; dicit *illas extrinsecus accidere.* Refert ergo incumbere sibi curam omnium Ecclesiarum: quia Apostolus erat, cujus officium extraordinarium circa omnes gentes, linguas & nationes occupatum esse debebat. Unde æstimare promptum est, ( inquit in hunc ipsum locum Doctor Hunnius ) quæ fuerit occupationum moles ac multitudo, dum huc, illuc non modo proficisci necesse habuit; sed etiam discipulos emisit ad informandas, vel etiam visitandas Ecclesias, & emendandum earum statum: dum item de varijs questionibus respondendum fuit, dum Epistolis expediendis fuit  
occu-



occupatus : Cum videre cum gemitu coactus est, Ecclesias, quas ipse magno sudore plantaverat, paulatim labefactari falsis doctoribus. Unde & sollicitudo intendebatur animi, & labor in repurgandis & in integrum restituendis illis, majorem in modum crescebat.

IX. Quando ergo subiungit Paulus v. 29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis offenditur, & ego non uror?* non tantum suum dolorem, Zelum & amorem charitatis exprimere voluit: sed etiam curam & sollicitudinem, quæ in ipso sit ex officii fideli functione. Longè enim melius hæc Apostoli verba exponit idem Doctor Hunnius, sic in commentario suo scribens: Vult dicere: ita sum in mea PASTORALI CURA affectus erga quemlibet, ut si quemlibet infirmari in fide contingat, ejus ego vicem, haud aliter doleam, ac si ipse sim infirmus, ideoq; prætermittere non potui, quin imbecillitati infirmorum idonea remedia adhibeam. Si quis offenditur aliorum vel perversa doctrina, vel illaudata vita, protinus exardescit in me Zelus adversus scandalorum autores, nec datur mihi requies, donec offendiculum removeatur.

X. Et sanè hæc adeò vera sunt, ut vel ipse Becanus evidentiâ Paulini textus convictus affirmare & confirmare cogatur, sic verborum Pauli sensum exprimens: *quando quis patitur scandalum, omnino Zelo & amore accenditur ad tollendum illud scandalum, ut quodammodo uri videatur.* Verum scandala in fide & moribus tollere, Ecclesias, falsis Doctoribus labefactatas, repurgare, & in integrum restituere, affectu erga quemlibet ex cura pastoralis præditum esse, imbecillitati infirmorum in fide remedia adhibere, non dari requiem, donec offendiculum removeatur, & similia ad officium & curam pastoraalem pertinent. Quod autem illa in Paulo fuerint cum Zelo pietatis & amore charitatis erga Ecclesiam, concedimus libenter: pertinent enim ad fidelitatem, quâ officium suum faciebat Paulus. Qui autem ita suo officio fungitur; is licet simul & pio Zelo & amore charitatis erga Ecclesiam operetur; tamen & Zelus iste & amor fluunt simul ex commisso officio, vel omnino ad illud

illud feliciter præstandum pertinent, proindeq; ipsa iustitia, secundum quam in suo officio quis operatur, hoc ipsum requirit, nempe ut ita & non aliter agat. Qui enim officio Ecclesiastico non pio Zelo, ac sincero amore. charitatis erga Ecclesiam & auditores fungitur is neq; fideliter in illo, quit versari, neq; justè, ut decet. Omnino ergo Concludendum est cōtra Becanum, curam Ecclesiarum, de qua Paulus loquitur, ortam esse non tantum ex dolore charitatis & amore, Zeloque pietatis; sed etiam ex obligatione iustitiæ: Quandoquidem vi commissi officij Apostolatus tenebatur Paulus Curam Ecclesiæ, vero amore charitatis, zeloq; pietatis erga ipsam, gerere: & actus enumerati etiam nihil aliud evincunt, ut demonstratum.

XI. Pergit Becanus §. 59. (nam quæ §. 58 annectuntur, nihil ad nos, neq; etiam quicquam ad rem) Nec obstat, quod Paulus de se ipso scribit 1. Cor. 9. 16. Si Evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit. Va enim mihi est, si non Evangelizavero: non enim loquitur de necessitate iustitiæ, sed obedientiæ: neq; de regimine Ecclesiæ, sed de Evangelij prædicatione. Nam ex obligatione præcepti tenebatur apud gentiles prædicare Evangelium: sicut etiam hoc tempore tenentur Patres societatis, quando ex virtute obedientiæ mittuntur à Romano Pontifice. At non tenebatur ex obligatione iustitiæ gubernare totam Ecclesiam, quia hoc nusquã illi erat commissum: sicut etiam hoc tempore non committitur Patribus societatis. Uror hoc exemplo, quia tibi notum est. Si tamen vis, aliud accipere. Archiepiscopus Cantuariensis, si obedientiam illi promitteres, posset tibi mandare, ut per totum ipsius Archiepiscopatum contiones ad populum haberes. An ideo totius Archiepiscopatus Ecclesiarum regimen tibi committeret? Nullo modo. Et tamen non malè diceret: Va mihi est, si non Evangelizavero: necessitas enim mihi incumbit. Quæ necessitas? non iustitiæ, sed obedientiæ & præcepti. Jam capis mysterium.

XII. Distinctio illa inter necessitatem iustitiæ & obedientiæ, nulla est: uti & inter regimen Ecclesiæ & prædicationem Evangelij. Nam præceptis obedire æquè est iustitiæ, ac guber-

gubernare Ecclesiam. Et quæro; si verum est, quod regimen Ecclesiae totius fuerit commissum Petro, an factum fuerit sine mandato, an per mandatum Christi. Certè affirmabit Jesuita, per mandatum Christi sic præcipientis: *pasce oves meas*; id factum esse; Ergo quando hoc non fecit Petrus, quid aliud fecit (Si vera est opinio Jesuitarum & Pontificiorum) quam quod obedientiam præstiterit mandato Christi æquè atq; illi, qui obligatione præcepti prædicant Evangelium? Ergo distinctio illa non tollit instantiam Antonii. Quandoquidem agit Paulus de necessitate vocationis & mandati divini, quasi dicat: Necessitatem Evangelii mihi imponit vocatio & mandatum (non Petri, quippe qui ipsi nihil quicquam unquam mandaverat, sed) DEI: itaq; vae mihi nisi Evangelizavero. Sic enim paratæ mihi forent temporales pariter & æternæ poenæ ob neglectum & prætermissum officium.

XIII. Ergo sic loquitur de suo officio Apostolatus; æ de se loqui posset Petrus: siquidem idem de se suoq; officio Petrus dicere posset, & verum esset: si gubernavero Ecclesiam, non est mihi gloria: necessitatem mihi imponit vocatio & mandatum Christi: itaq; vae mihi si non rectè gubernavero &c. Atq; sic æquè loqueretur de necessitate obedientiæ atq; Paulus: atq; æquè hic Paulus de necessitate justitiæ; atque ibi Petrus. Nam necessitas obedientiæ ex justitia est & justo mandato, proindeq; quædam necessitas est justitiæ.

XIV. Deinde petitio principii est, tantum Paulum loqui de necessitate prædicandi Evangelii, quæ necessitatem gubernandi Ecclesiam excludat. Quandoquidem loquitur de toto suo munere Apostolico, quod vocat officium Evangelizandi, à potiori parte, & actu illius officii. Quod porro addit: *ex obligatione præcepti (nempe Petrini) tenebatur apud gentiles prædicare Evangelium, ut hodie Patres societatis, quando ex virtute obedientiæ mittuntur à Pontifice Romano: id falsissimum est.* Quandoquidem in nullo Paulus obligatus fuit Petro, Gal. i. v. 11. 12. c. 2. v. 6. neq; unquam illam sibi sumsit potestatem Petrus, ut vel minimum Paulo mandaret, nedum ut ipsum man-

B

dato

dato suo cogeret prædicare Evangelium gentibus, hodie Pontifex Romanus mandatis suis cogit Jesuitas & Monachos abire, & in peregrinis locis vel prædicare & divulgare superstitiones papales; vel etiam, quodcunq; mandatum fuerit, efficiant, reges interimant, nec non alia maxima scelera & flagitia perpetrent.

XV. Nunquam enim Paulus à Petro vel ullo Apostolorum missus est: Contra verò Petrum ab Apostolis & illorum arbitrio missum esse in Samariam, ut ibi prædicaret Evangelium, certum est. *Act. 8. v. 14.* Is autem ut non Paulum, sic neque alium aliquem misit Apostolorum. Quare hunc Primarium & principalem primatus actum Petrus nunquam exercuit.

XVI. Quod attinet prædicandi Evangelii officium inter gentes, quod potissimum concessum Paulo, ut Petro officium docendi Evangelium inter Judæos; illud nullo factum, est interveniente ullius hominis, vel Petri, vel Pauli mandato. Ut enim hic nihil Paulus Petro, sic neq; quicquam Petrus Paulo mandavit: Siquidem expresse testatur Paulus, se neq; à Petro neq; à cæteris, Apostolis sed à Domino, accepisse mandatum prædicandi Evangelium inter gentes. Sic enim Paulus *ad Galatas 2. v. 7.* *Imò cum vidissent Apostoli, mihi concreditum fuisse Evangelium præputij, quemadmodum Petro, circumcissionis: hoc est, (ut explicat D. Hunnius) cum Apostoli percepissent, & ex meâ & Barnabæ relatione, aliisq; minimè fallacibus indiciis exploratum jam haberent, mihi omne cum Barnabâ divinitus concreditum fuisse Evangelium præputii, hoc est, inter incircumcisas gentes, annunciandum: quemadmodum Petro & sociis delegatum erat Evangelium circumcissionis, hoc est, Evangelica doctrina inter Judæos circumcisos prædicanda, id quod utrinq; (v. 8.) ex irrefragabili patuit effectu: siquidem Deus utrinq; fuit Efficax, non minus apud gentiles per ministerium meum, quàm apud Judæos per ministerium Petri: Utriusq; insuper munus Apostolicum, signis & miraculis fuit illustre, iisq; ceu sigillis cælestibus, confirmatum: cum, inquã, hoc viderent, & gratiam ad convertendas gentes mihi divini-*

divinitus concessam, cominus aspicerent primarij Apostoli, nempe Petrus, Jacobus (Alphæi filius) & Johannes, quos propter insignem autoritatem, indefessum laborem, felicemq; processum in propagando regno Christi, judicabāt esse columnas, ita ut in ipsis veluti recumbere videretur Ecclesiæ structura. Illi verò me non fuerunt aspernati, more Pseudoapostolorum, sed dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, agnoscentes nos pro indubijs Apostolis, & hoc pactum ineuntes nobiscum, ut nos duo quidem, Barnabas & ego, porrò etiam, sicut hæcenus, fungeremur Apostolatu ad gentes præcipuè, ipsi verò potissimum ad circumcisum populum Judaicum Evangelizarent.

XVII. Unde sic argumentamur: 1. Ut Petro fuit concreditum Evangelium præputii, sic Paulo concreditum fuit Evangelium circumcisionis: At Petro concreditum fuit immediatè à Christo: Ergò & Paulo fuit concreditum à Christo, & non mediatè à Petro. 2. Quos docuit Paulus Evangelium, antequam Petrus etiam aliquid de Pauli Apostolaru audivit; ad illos à Petro non est missus Paulus, ut prædicaret Evangelium: Atqui gentes docuit Paulus, antequam vidit Apostolum Petrum, & antequam Petrus quicquam de Apostolatu Pauli audivit: Ergò à Petro Paulus non est missus, ut prædicaret Evangelium inter gentes. 3. Qui cum Paulo inierunt pactum, ut ipse cum Barnabâ pergeret prædicare Evangelium, præcipuè inter gentes, ipsi autem, ut inter Judæos, illi nullo mandato Paulum cum Barnabâ, ut hodiè Papa Romanus Jesuitas & Monachos, miserunt ad prædicandum Evangelium inter gentes: At Petrus & Jacobus & Johannes cum Paulo inierunt pactum, ut ipse cum Barnabâ pergeret prædicare Evangelium inter gentes: Ergò nullo mandato miserunt Paulum & Barnabam ad prædicandum Evangelium, inter gentes, ut hodie Jesuitas & Monachos mittit Papa Romanus. Et si omninò mandatum hîc aliquod esset concedendum, non tamè argueret Monarchiam sed Aristocratiam. Verum nullum mandatum est, ubi aliquid fit ex pacto: Siq; missio hic locum

B 2

habet;

habet; sequitur: Ut Paulus cum Barnaba à Petro & sociis missus fuit ad gentes; sic vicissim Petrum cum sociis missum esse à Paulo ad Judæos.

XVIII. Taceo, quod rursus hic supponatur, soli Petro universum Ecclesiæ regimen esse demandatum: quod verò probandum erat: uti & hoc, ejusmodi necessitatem Justitiæ fuisse unquam Petro commissam, & à Christo impositam respectu Ecclesiæ: quæ à necessitate officii Apostolici, rectè & fideliter administrandi, sit distincta. Sanè & hæc nō supponenda, sed probanda erat: quod verò quia non fit, committit iterum Jesuita petitionem principij.

XIX. Porro addamus nos & illud, quod Paulus præferendus sit Petro propterea, quod hic solus per Antonomasiam Apostolus dicitur. Cui accedit, quod in antiquis sigillis, quibus diplomata summi pontificis obsignantur, inveniuntur imagines Petri & Pauli: sed hujus in dextris, illius in sinistris. Quod etiam Thomas Aquinas observavit in *Epist. ad Galatas lectione Prima*: & Petrus Damianus, in tractatu de hac ipsâ re. Respondet Bellarminus *lib. 1. de Rom. Pontific. c. 27.* primum ad prius, quod Paulus κατ' ἐξουσίαν & per antonomasiam Apostolus dicatur, id non propterea fieri, quia fuerit Petro major potestate vel autoritate: sed duabus aliis, de causis: quæ nihil detrahant de primatu Petri: & sic committi in argumento fallaciam Gaussæ. Primam ergo causam hujus denominationis facit, quod plures libros scripsit, quam ex ceteris quisquam. Alteram: quia illud, quod proprie pertinet ad Apostolum, ut Apostolum, magis fecit, quam quisquam ex ceteris.

XX. Quod attinet primam rationem, ficta illa & falsa est. Nam Origenes inter omnes Patres plurimos libros scripsit, nec tamen κατ' ἀνωμασίαν dicitur Pater. Sic ex Medicis nemo plures libros scripsit quam Galenus: inter Historicos plurima scripsit Livius: inter Poetas Latinos plurima scripsit Ovidius: nec tamen per antonomasiam ille dicitur Medicus, neq; iste Historicus, neq; hic Poeta: Ex omnibus Prophetis nemo plura scripsit, quam Moyses, nec tamen per Antonomasiam

fiam dicitur Propheta : Ergo neq; Paulus, quia plures libros scripsit, quam quisquam ex cæteris, per Antonomasiam dicitur Apostolus.

XXI. Alterum argumentum tantum abest, ut nostram sententiam refutet, ut illam potius confirmet & probet. Hoc ipsum enim est, quod volumus, Paulum cæteris in munere Apostolico præferendum esse, vi proprii sui testimonii & confessionis 1. Cor. 15. *Plus omnibus laboravi*: uti illud allegat Bellarminus. Certum autem porro est; quod Petrus & Paulus, ut & Apostoli omnes nullum aliud munus habuerint, quam Apostolicum: si igitur Paulus excelluit in eo, quod proprium est Apostoli; si illud, quod propriè ad Apostolum, ut Apostolum, pertinet, magis fecit, quam quisquam ex cæteris: si denique munus Apostolicum excellentissimè implevit; necessario utiq; inferitur, ipsum eximium esse inter omnes Apostolos, & reliquis omnibus, & sic ipsi Petro, præferendum. Qui enim illud, quod propriè ad Poetam pertinet, excellentissimè facit, ut Homerus; ille per Antonomasiam Poeta dicitur, & est eximius inter Poetas: adeoq; cæteris præfertur. Sic, qui oratorium munus excellentissimè adimplet, ut Demosthenes, ille per Antonomasiam orator dicitur, & est eximius, iudicaturq; inter omnes oratores & cæteris omnibus præfertur: Atq; ita inductione innumerabilium exemplorum progredi possemus. Certum ergo est, quod modo à nobis est conclusum, Paulum in Apostolatu omnibus aliis Apostolis esse præferendum.

XXII. Hæc ipsa non tantum vera agnoscit Bellarminus; sed etiam contra seipsum ( tanta efficacia est veritatis) Patrum autoritate confirmare cogitur, adducendo testimonia Hieronymi, & Augustini. Quorum ille in cap. 5. Amos sic scribit, *Paulum non solum per istum tractum, qui est ab Hierusalem ad Illyricum, ut ipse ait Rom. 15. sed & à mari rubro usq; ad Oceanum, per totum ferè orbem Evangelium plantasse, ut prius ei terra, quam prædicandi studium defecerit.* Augustinus vero lib. 3. ad Bonifacium. cap. 3. *Apostolus, inquit, cum dicitur, si non exprimat, quis Apostolus, non nisi Paulus intelligitur, quia pluribus Epistolis notior est, & plus laboravit.*

XXIII. Testatur ergò & confirmat ipse Jesuita, Paulum excellentissimè officio suo Apostolico functum esse, & ob eam causam principem Apostolorum dici posse. Sed quid probavit Jesuita & contra quem illis probationibus pugnavit? Certè, quod contra Bellarminum & sociennos confirmatum & demonstratum cupimus, illud ipsum apodicticè ostendit & probavit, proindeq; non contra nos, sed contra propria sua deliria disputavit; verumq; nobiscum contestatus est, quod ipse Paulus de se inquit: *Judico me nihil inferiorem esse summis Apostolis.*

XXIV. Ex propriis ergò Bellarmini hypothésibus & concessis cõcluditur, Paulum quoad munus Apostolicum, Petro longè præstantiorem fuisse. Sic enim argumentor: Qui Apostolus Petro quoad munus Apostolicum fuit præstantior; ille Apostolo Petro quoad officium simpliciter præcelluit: Atqui Paulus Apostolus Petro quoad munus Apostolicum, fuit præstantior: Ergo illi quoad officium simpliciter præcelluit. Major est certa. Nam Petrus & cæteri Apostoli nullum aliud munus habuerunt vel administrarunt quam Apostolicum. Minor est confessio Jesuitæ Bellarmini: Ergò conclusio est manifestæ veritatis.

XXV. Cæterum in eo quod Veteres in sigillis & imaginibus Paulum ad dextram, Petrum ad sinistram, sculpsērunt, eoq; demonstrarunt, se Paulum pro honoratiore habere; Bellarminus se valdè torquet: Primum regerit, *se ante ostendisse, Petrum esse Paulo autoritate majorem.* Sed verba sunt: non ostendit; quippe contrarium jam modo probavit, ubi pro nobis & patribus disputavit.

XXVI. Probè notetur hic primum: Antea ostendere fategit Jesuita, Petrum fuisse Pauli & omnium Apostolorum Monarchā: jam dicit, se ostēdisse, Petrum esse Paulo autoritate majorem. Estne statim is, qui aliis autoritate major est, illorum Manarcha? Credat, qui nescit, quid distent æra lupinis: Lutherani ita stupidi non sunt, ut id credant vel concedant. Sit Petrus omnibus Apostolis autoritate major; non tamen propterea



pterea in illos habebit jurisdictionem, vel illorum Rex & Monarcha erit.

XXVII. Alterum, quod probè notatum volumus, est. Dicit Bellarminus, *Paulum esse Petro omnibus nominibus majorem; hoc tamen neg, Papis Romanis neg, Primatui Petri officere.* Deum immortalem, quæ sunt absurda, & ἀλογα, si hæc non sunt? sed audiamus probationem. *Papis Romanis non officiunt,* inquit: *Nam & hi sint Pauli successores.* Quæ hæc bona nova? Papa Romanus non est Petri tantum, sed & Pauli successor? Ergo cathedra non est Petri, sed Pauli potius: utpote Apostoli præputij, & gentium, quiq;, fatente ipso Bellarmino, omnibus nominibus major est Petro. Verum neg; hoc probabit Bellarminus: quippe qui sibi pessimè contradicens, hoc ipso in loco ut & aliis multis, disertis verbis testatur, & palam fatetur, summam dignitatem & auctoritatem Pauli extraordinariam fuisse. Ejus verba hoc loco sunt: *Nihil Petri Pontificatui officeret summa dignitas & auctoritas Pauli: quoniam extraordinaria erat, quanta tandem esset.* Ergo res plana est, Bellarminum affirmare, totam auctoritatem & dignitatē Pauli fuisse extraordinariā, & nihil planè ordinarij in se complexam: quo supposito, repetemus, quod supra probavimus, in extraordinarijs successione locum non habere: cum in eo minus ordinarium ab extraordinario differat, quod in eo est successio, in hoc non est. Quare si Paulus in munere Apostolico habuit successores, sequitur ejus munus ordinarium fuisse: Aut ergò mentitur Jesuita, cum dicit, *Pauli munus fuisse extraordinarium, & nihil quicquam ordinarij in se continuisse:* aut mendacium est, cū dicit, *Paulum in eo munere habuisse successores.*

XXVIII. *Neg, primatui Petri officere,* probat Jesuita. *Moses enim, inquit, fuit Aaron major, & tamen, Aaron fuit summus sacerdos: Ita etiam Paulus Petro major est; & tamen Petrus est summus Ecclesie pontifex.* Quis sibi imaginari posset, tantas ineptias & pueriles nugas in magnum hunc Cardinalem cadere posse? Quis Lutheranorum adeo blennus, bardus, & stupidus est, qui non intelligat, simile hoc dissimilimum esse?  
Non

Non quæstio est, an unus altero major, & superior esse possit, respectu diversorum officiorum: sed an illi, qui sunt in eodem supremo officio, ratione illius officii, admittant distinctionem Superioris & Inferioris, adeo, ut superior in inferiores habeat jurisdictionem. Illud nemo negat: hoc stulti, quos gloria vexat inanis, concedant. Quum igitur Moses & Aaron habuerint diversa officia, omnino Moses, propter officium superius, potuit esse major Aarone: Licet Aaron inter sacerdotes esset summus. Verum Paulus & Petrus non habuerunt diversa, sed unum & idem officium, nullos in se gradus habens vel admittens, ut hactenus sæpius dictum & probatum est.

XXIX. Deinde, Aaronem esse summum sacerdotem, disertis verbis Deus dixit & ordinavit: Petrum verò esse summum Ecclesiæ Pontificem, non tantum non dixit Deus, sed potius contrarium expressè affirmavit, ipsum tantum esse summi Ecclesiæ pontificis servum, ministrum & Apostolum. Mera ergò petitio principii est, quando Petrum dicit summum Ecclesiæ Pontificem. Est enim hoc ipsum, de quo quæstio volvitur, & controversia est: quod ut hactenus probare non poterunt Papani, sic neq; posthac ab ullo vel Jesuitarum, vel Monachorum probabitur.

XXX. De Papis Romanis in præsentiarum nihil dicimus: tantum autem abest, ut illos pro summis Ecclesiæ pontificibus habeamus aut agnoscamus, ut potius eos Antichristos esse suo loco justis ac evidentibus rationibus nos probaturos recipiamus.

XXXI. Præterea si Aarone est successum; quod ejus munus fuit ordinarium: Mose verò non est successum: quod munus ejus non fuit ordinarium; utiq; sequitur necessario, neque Petro succedi posse: Cum & ejus munus æquè fuerit extraordinarium atq; Pauli, ut ostensum est antea & res ipsa loquitur.

XXXII. Postremò quoq; concessum est & disertis verbis affirmavit Jesuita, *Paulum omnibus nominibus Petro fuisse majorem*: Si autem hoc: Sane non Petrus fuit Pauli, sed  
Paulus

Paulus Petri Monarcha: cum plane sit *αδωάτω*, subditum suo Rege sive Monarcha omnibus nominibus esse majorem. Quibusdam quidem nominibus major esse potest, utpote, eruditione, justitia, parsimonia & similibus virtutibus: Sed non omnibus: alias & Monarchia & potestate major esset: quod absurdum. Quare dum Jesuita evidente ac manifesta veritate convictus, fateri cogitur, Paulū omnibus nominibus majorem fuisse Petro: Et nihilominus Papæ Monarchiam tam acriter defendit, quis dubitabit, ipsum contra conscientiam veritatem oppugnare? Cum potius manifestis contradictionibus, quæ ipsum mendacium pro fundamento habent, se implicare, quam, in Dei, omnis veritatis fontis ac fundi honorē, id, quod verum est evidentissime demonstratum, verum agnoscere & confiteri velit.

XXXIII. Tertiō Respondet Bellarminus, 1. non esse perpetuum, ut in antiquis imaginibus Paulus dextram partem occupet; cum in iis, quæ Romæ nunc extant, ut in quibusdam Paulus cernatur ad dextram, ita in aliis non paucioribus cernatur ad sinistram: Et sicut in diplomatibus Paulus obtineat dextram, ita in numismatibus obtineat sinistram. 2. Fortasse consultō id veteres observasse, ut ex duobus summis Apostolis modo unum, modo alterum anteponerēt: nimirum ut eo significarent, hos Apostolos vel pares esse, vel certe ignorari, uter alteri præsit. Idq; probat autoritate patrum. Nam, Leo sermone 1. de natali Apostolorum scribit: Illos ( loquitur de Petro & Paulo ) electio pares, labor similes, finis fecit equales. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. ult. Paulus, inquit, Apostolus, Petro Apostolorum primo in principatu Apostolico frater est.

XXXIV. Ut igitur *ὅτε εἶναι ὡς τε εἶναι* faciamus, Patres illi allegati illud ipsum dicunt & stabiliunt, quod nos defendimus. Si enim duo illi Apostoli, electione, laboribus (ad quos etiam gubernatio Ecclesiæ pertinet) & fine & sic in omnibus sunt pares, similes, æquales juxta Leonem, utique Petrus Pauli Monarcha esse nequit: cum Rex & subditi nequaquam electione, laboribus & fine æquales dici queāt: Sic, si juxta Gregorium Paulus Petro in principatu Apostolico frater; est quomodo hic illius potest esse Monarcha?

C

35. Inquis,

XXXV. Inquis, Bellarminum non solum hos Patres allegare, sed etiam *Maximum*, qui apud Ambrosium *sermone 66. de sanctis, Petro & Paulo*, illi clavem potentiae, huic Paulo vero clavem sapientiae datam esse dicit. Respondemus, licet ita primatum Maximus vocet, & quasi duas claves facere videatur, certum tamen est, quod istis respectibus, nempe potentiae & sapientiae, claves regni caelorum à Christo non distinguantur. Sed tantum ratione ligationis & solutionis: Et licet ibi eo loquendi modo utatur, nullo tamen modo tribuit Petro, quod hujus suae clavis ratione Paulo praefereendus sit; sed ita clavem potentiae Petro tribuit, ut nihilominus Paulus ipsi maneat, per omnia aequalis, adeo ut in nullo Petrum Paulo praeferre vel possit vel velit, quod ibidem immediate subjungit & concludit: *Ergo Beatus Petrus & Paulus eminent inter universos, & peculiari quadam prerogativa praecellunt: Verum inter ipsos, quis cui praepositus, incertum est. Puto enim illos aequales esse meritis: quia aequales sunt passione.* En his verbis expresse docet, se plane ignorare, quem alteri praeferre debeat: At inter Regem & subditum non est incertum, quis alteri praefereendus sit. 2. Diserte quoque concludit, illos meritis, proindeque laboribus, aequales esse: Ergo si aliquod Regimen Ecclesiae concedendum Petro, id juxta Maximum, simul Paulo est tribuendum: alias meritis aequales non essent. 3. illos quoque in principatu facit aequales: ubi, inquit, *gentilium principes habitabant illis Ecclesiarum PRINCIPES morerentur.* Si Becanus essem, liceret mihi ita concludere: Cui idem principatus Ecclesiarum tribuitur, qui tribuitur Petro, ille eandem in Ecclesiam habet jurisdictionem, quam habet Petrus: Atqui hic ab Ambrosio idem principatus Ecclesiarum tribuitur Paulo: qui alias tribuitur Petro: Ergo Paulus eandem in Ecclesiam habet jurisdictionem. Si inquam, Becanus essem, tum mihi hoc modo argumentari liceret: Si quidem haec consequentia ipsi est firmissima & Apodictica, supra in *manuali lib. 1. cap. 4. §. 44.* Ubi ex hoc & similibus attributis vult demonstrare Petrum esse caput & Monarcham Apostolorum & Ecclesiae. Sapienti sat. Pudeat.

36. Nihil

XXXVI. Nihil ergo pro sua sententia dicit Bellarminus, quando garrit, *forsan consultò id veteres observasse, ut modo Petrum, modo Paulum anteponerent, eoque significarent illos esse pares. Si enim eâ transmutatione docere voluerunt, eos in omnibus aequales esse, utique docuerunt, Paulum ratione jurisdictionis & Monarchia Petro non fuisse imparem & inferiorem.* Nam hæc contradictionem manifestam implicant: duos ita pares facere, ut promiscuè supremum dignitatis & autoritatis locum obtineant; Eoque significant, unum alteri quoad dignitatem, honorem & autoritatem non præferendum esse: Et 2. nihilominus defendere, illos ipsos quoad honorem, dignitatem & autoritatem, nempe Monarchiæ & jurisdictionis (quæ certè dignitas autoritasque & honor maximus est) impares, & unum Regem, alterum subditum esse. Aut ergo falsa est conjectura & ratio Bellarmini, quam hic affert: aut falsum est, Petrum esse Monarcham.

XXXVII. Ad primum respondemus, licet in iis imaginibus, quæ jam Romæ extant, non omnes repræsentent Paulum, dextrum locum occupantem, sed quædam & Petrum, dextro loco habeant; id tamen nihil derogare nostræ sententiæ. Nam non quæstio est in argumento de omnibus imaginibus, sed tantum de veterioribus, factis eo tempore, quando primatum Petri Romæ non ita ut hodie defendebant. Illæ veteriores imagines, negari non potest, quod repræsentaverunt Paulum in dextra & Petrum in sinistra parte. Posterioribus temporibus, quando pontifex primatum in Ecclesia arripuit, Paulum ex loco dextro detrusum, & in sinistro positum esse, quis dubitabit? Cum nihil aliud primatus arreptus postularet.

XXXVIII. Hanc absque dubio responsionem olfaciens Bellarminus, quartam excogitavit, fingens *olim in usu fuisse, ut senior & honoratior ad levam esset.* Sed hoc est falsum, & contra omnem fidem historicam. Apud Hebræos enim citra controversiam dextra fuit honoratior: Sed & apud Romanos & apud Græcos dextra fuit honoratior: Plutarchus in Bruto;

Bruto: μετὰ ταῦτα πρὸς τὰς τάξεις αὐτοῖς λόγῳ ἐγένετο, τῶν  
 φίλων παρόντων, καὶ Βρῦτῳ ἠτεῖτο Κάσσιον, αὐτὸς ἡγεῖσθαι  
 τὴν δεξιὰν κέρατῳ, ὁ δὲ ἐμπειρίαν καὶ ἡλικίαν μάλλον ὄντῳ  
 Κασσίῳ προσηύκειν. ὃ μὲν ἀλλὰ καὶ τὸ κάσσιῳ ἔδωκεν, καὶ  
 τῶν ταγματῶν τὸ μαχιμώτατον ἔχοντα μεσσήλαν ἐκέλευσεν  
 ἐπὶ τὴν δεξιὰν κατὰσῆναι. Id est. Hinc de acie instruenda, amicis  
 presentibus, colloquuti sunt. Contendit autem Brutus à Cassio, ut dex-  
 trum cornu sibi permetteret, quod propter usum & aetatem potius  
 existimabant ad Cassium pertinere. Atqui concessit ei id quoque, Cassius  
 atque Messala imperavit, ut cum fortissima legione, quam ducebat, con-  
 sisteret in dextro cornu. Suetonius in Tiberio: Tiberius Libonem,  
 res novas molientem, ad colloquium admisit, sed ita, ut dextram am-  
 bulantis, veluti incumbens, quo ad sermo perageretur, contineret. Sa-  
 lustius in Jugurta, Hiempsal, qui minimus ex iis erat, ignobi-  
 litatem Jugurtae, quia materno genere impar erat, despiciens,  
 dextra Adherbalem assedit, ne medius e tribus (quod & apud  
 Numidas honori erat) Jugurta foret. Deinde tamen, ut aetati  
 concederet, fatigatus à fratre, vix in alteram partem transla-  
 tus est. Ovidius 6. Metamorph:

*Distribus ille focos totidem de cespite ponit,*

*Lavum Mercurio, dextrum tibi bellica virgo,*

*Ara Jovis media est, mactatur vacca Minerva,*

*Mercurio vitulus, taurus tibi summe Deorum.*

Unde satis liquet, honoratiores, si terni incederent, medium,  
 si bini, dextrum locum tenuisse.

XXXIX. Hoc etiam si ex allegatis testimoniis est cer-  
 tissimum; conatur nihilominus Bellarminus suam opinionem  
 duabus probare rationibus. Prima est: quia ex duobus inte-  
 rior, est honoratior: Probatum ex 5. Fastorum: ubi Ovidius de  
 fene agens, ita scribit:

*Et medius juvenum, non indignantibus illis,*

*Abant, & interior si comes unus erat.*

Interiorem autem dici eum, qui ad partem lavam est. Porro  
 ex Virgilio, & quidem ex libro 5. Aeneid. probare satagit. Ibi  
 enim dicit Bellarminus, significare Poetam Cloanthum ad par-  
 tem sinistram Gyæ navigasse hisce versibus:

*Ille*

*Ille inter navemq; Gyæ, scopulosq; sonantes*  
*Radit iter lævum interior, subitusq; priorem*  
*Præterit.* ----- Sed nihil probat. *Virgilius*  
enim non loquitur de duobus simul ambulantes, vel seden-  
tibus, de quibus verò hic quæstio est: Quare oppono Poetæ  
Poetam, & quidem Horatium, de simili re & argumento lo-  
quentem, affirmantemque quod exterior sit ad lævam his  
verbis:

----- *Nec tamen illi*  
*Tu comes exterior, si jufferis ire recusas.*

Interior autem & exterior sunt relativè oppositi. Si ergo exte-  
rior est ad lævam, tunc interior est ad dextram.

XL. Ut autem videat Bellarminus, nihil planè favere  
Virgilium suæ causæ, concedimus quidè, quod Cloanthi na-  
vis sese flecterit ad latus sinistram, id enim expressè dicitur,  
*Radit iter lævum.* Verum illud *interior* propterea hic significare  
illum, qui est in latere sinistro, negamus. Significat enim neq;  
dextrum, neq; sinistram, sed medium. Cloanthus enim *interior*,  
id est, medius inter scopulos & navem Gyæ, quam à dextris  
habebat, navigavit & sic compendium viæ faciens navem  
Gyæ prævenit, uti eodem in libro paulò post voce hac *interior*  
in eadem significatione utitur Poeta:

*Namq; furens animi, dum prorsum ad saxa suburget*  
*Interior.* -----

In quem locum ita Adrianus Turnebus adversariorum libri 4.  
cap. 4. *Interiorem*, inquit, *illic crediderim, qui cursu brevione ad*  
*metam tendebat: ut apud Ciceronem in Arato:*

*Nam cursu interiore brevi convertitur orbe:*  
*Cui tamen ut sinister esset, conveniebat, et si ex eo non interior esse di-*  
*citur, sed quia propinquiore spacio & brevior ad scopulum, qui præ-*  
*meta constitutus erat, pergebat.*

XLI. Quod ex Eusebio citat Bellarminus, magni mo-  
menti non est, fieri potest, ut ob certas causas & respectus infe-  
riori, superior à superiori concedatur locus, ut, quando legato  
in aulis principum superior locus honoris particularis ergò

assignatur: non quod is, quod ad suam personam, est superior: sed quia legati officio fungitur: vel quia æqualis dignitate est, sed peregrinus & hospes: vel quia ita superiori placet, quod videt eo suæ existimationi nihil derogari. Ista autem extraordinaria nullam faciunt exceptionem in ordinarijs, & ubi existimatio & auctoritas loci permutatione periclitari potest, ut in sigillis, in monetis: quæ magnatum regalium *κευήρια* & testimonia sunt. Vel etiam in ordinarijs conventibus, & similibus casibus, in quibus auctoritas & præ eminentia, si non observetur, postea per actus contrarios possit in dubium vocari.

XLII. Quod ipsum cogitur approbare Bellarminus, licet ad eum stupidus sit, ut se ipsum non intelligat, quādo porrò sic scribit: *Neg, his repugnat, quod Ambrosius in sermone de Pentecoste, qui est, 61. & Hieronymus in commentario. i. c. ad Ephes. dicunt, sedere ad partem dextram esse majoris honoris signum. Nam absolute dextra honoratior est, & præsertim in sedibus recto ordine collocatis. Ut si ad parietem ponantur duæ sedes, & una alteram non tangat, dubium non esse potest, quin dextra debeatur præstantiori: tamen alia ratio est de incessu, & quando unus alterius latus claudit.*

XLIII. Fatetur ergò Bellarminus, dextram absolute honoratiorem esse. Si hoc verum: Ergò in certo casu dextram honoratiorem non esse dici nequit, nisi manifesta ratio adsit, atqui illa in istis sigillis non est, siquidem in ejusmodi signis, id quod simpliciter est honoratius, attenditur & observatur. Deinde si in duabus sedibus illud verum est simpliciter, quod dextra sit pro honoratiore, cur non idem concedendum de loco dextro, quem quis habet vel in incessu vel in sessione; Et potissimum ubi honoris observatio & respectus est necessarius, ut in sigillis publicis.

XLIV. Quomodo etiam aliud erit, quando unus alterius latus corpore suo tangit, & claudit? Estne ille, qui alteri latus claudit minus honoratus, & ad dextram: Et sic qui honoratior est ad sinistram? Falsum hoc est. Qui enim alteri  
latus



latus claudit, non est ad dextram, sed ad lævam. Suetonius in Claudio. *Aulo Plautio, ovationem decrevit, eiq; urbem ingresso obviam profectus, & in Capitolium eunti, & inde redeunti latus textit.* Eutropius in eodem; *Adeo civilis fuit in amicos, ut Plautium, virum nobilem triumphantem ipse prosequeretur, & Capitolium incedenti lævus incederet.* Ex quibus manifestum est, quod alterius latus tegere, & lævum incedere idem sint. Cætera quæ subjiciuntur nullius sunt momenti.

XLV. Revertamur nunc ad Becanum, qui §. 60. dicit, Antonium adducere pro sua & nostra sententia subsequentes autoritates Patrum. *Irenæus libro 3. contra hæreses cap. 13. Ipsius (DEI) Petrus erat Apostolus cujus & Paulus.* Ubi Petrum reducit ad paritatem cum Paulo: Non tamen eum præsert Paulo. *Clemens lib. 7. constit. Apost. cap. 1.* Inducit Apostolos de Petro sic loquentes: *Ananias & Saphira Petri Coapostoli nostri sententia morte sunt affecti.* Non vocant illum principem aut Monarcham sed Coapostolum tanquam parem. *Gelasius in 1. tomo de vinculo anathematis, statim in initio, Paulum vocat coapostolum Petri.* *Augustinus lib. 2. de Baptis. contra Donatistas cap. 4. vocat collegam Petri.* Et lib. 2. de peccatorum meritis & remis. cap. 13. De Paulo sic loquitur. *Verum etiam in ipso Evangelio, ubi & tanti Apostolatus meruit principatum.* Et in Psalm. 130. *Paulus Apostolus, quamvis ex persecutore factus sit prædicator, abundantiore gratiam consecutus est in omni labore Apostolico, quam ceteri Apostoli.* *Origenes lib. 1. contra Celsum, Paulum vocat fundatorem Ecclesiarum, post Christum præcipuum.* *Nazianzenus in Apolog. circa medium: ait Petrum & Paulum verbi & sapientia & gubernationis gratiam à Christo percipere meruisse.* Et numerans eos, qui populo præfuerunt in Testamento Novo, ponit primum Johannem Baptistam: proximè verò duodecim Apostolos. *Cyrillus Hierosolymitanus: Catech. 6. Errorem (Simonis Magi) latius se proferentem coarguerunt duo viri boni hic perlatis, Petrus & Paulus, Ecclesie præfecti.* *Ambrosius lib. 2. de spiritu sancto in fine: Una enim gratia fulgebat in his, quos spiritus unus elegerat. Nec Paulus inferior Petro, quamvis ille Ecclesia funda-*

*fundamentum, & hic sapiens Architectus, sciens vestigia credentium  
 fundare populorum. Nec Paulus indignus Apostolorum collegio, cum  
 primo facile conferendus & nulli secundus. Nam qui se imparem ne-  
 scit, facit aequalem. Idem Ambrosius serm. 66. de Natali Petri &  
 Pauli: Beati Petrus & Paulus eminent inter universos Apostolos, &  
 peculiari quadam prerogativa præcellunt. Verum inter ipsos, quis  
 cui præponatur, incertum est. Puto enim eos æquales esse meritis, qui  
 æquales sunt passione. Leo Papa serm. 1. in natali sancti: Petri &  
 Pauli. Quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiæ mem-  
 bra provexit, ut eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum  
 constituerit lumen oculorum. Chrysostomus, Quicquid tribui-  
 tur Petro, tribuit etiam Paulo. Petro tribuitur, quod fuit Petra  
 & fundamentum Ecclesiæ. At Chrysostomus homil. 2. in Epist.  
 ad Roman. tribuit Paulo, quod fuerit columna Ecclesiæ, Pe-  
 tra, ferro & adamante firmior. Petro tribuitur; Quod fuerit  
 Coryphæus Apostolorum. Chrysostomus homil. 18. ad Ro-  
 man: Idem dicit de Paulo. Petro dicitur Ecclesiæ commissa.  
 Chrysof. homil. ultima dicit Paulum electum à Deo, cui res  
 orbis, misteria cuncta, universamq; dispensationem concede-  
 ret. Idem Chrysostomus plus tribuit Paulo, quam Petro. Nā  
 Homil. 12. in poster: ad Corinth: sic scribit de Paulo: Ille non  
 solum, quæ sua, curabat cum sollicitudine, sed etiam quæ totius mūdi.  
 Et ibidem: Duplex illi cura erat pro orbem terrarum, & quomodo ne-  
 cessaria non deficerent, & quomodo spiritualia abundarent.*

XLVI. Tanta vis & perspicuitas est in his allegatis  
 Patrum testimoniis, ut nil nisi verba ad illa Becanus respon-  
 dere queat. Sic enim §. 61. ineptire incipit: Respondeo. Vel a-  
 gis de jurisdictione Petri & Pauli, vel de virtutibus, laboribus & me-  
 ritis eorum. Si agis de jurisdictione (de quâ inter nos disputatio est)  
 non rectè citasti hoc patres. Nam aliqui illorum dicunt, Paulum Pe-  
 tro præcellere: Alij æqualem esse: Alij dubium esse, uter præcellat.  
 Quod de jurisdictione intelligi non potest. Alioqui Patres inter se  
 essent Contrarij. Non enim coherent hæc inter se tria. 1. Paulus præ-  
 cellit Petro jurisdictione. 2. Paulus par est Petro jurisdictione. 3. du-  
 bium est, uter præcellat jurisdictione. Si autem agis de eorum  
 virtu-

*virtutibus, laboribus & meritis, tunc quidem rectè citasti hos patres, sed nihil ad rem, de qua disputamus. Non enim inter nos questio est de virtutibus & meritis, sed de sola jurisdictione. Igitur extra rem omnia sunt, quæ adducis. Patres tamen non pugnant inter se. Nam benè coherent inter se hæc tria: 1. Paulus in laboribus & ærumnis præcellit Petro. 2. Paulus est par Petro, quia uterq; est Apostolus Christi. 3. Incertum est nobis, uter alteri præcellat meritis apud DEUM.*

XLVII. Omnino agitur de jurisdictione, sed non astringenda, sed destruenda, & quidem in Apostolo Petro. Nam hæc est vis generalis argumenti Antonii: Si Petro illis argumentis, quibus papani pro afferenda in ipso jurisdictione utuntur, jurisdictionem illam in universam Ecclesiam & Apostolos tribuunt, utiq; necesse est, illam vi illorum ipsorum argumentorum ipsi quoq; Paulo tribuant: At posterius negant papani; quomodo ergo prius affirmare & Petro jurisdictionem in universam Ecclesiam tribuere poterunt? Major est certissima. 1. Cui enim tribuitur antecedens, illi quoque ejus necessarium consequens tribuendum est. Si enim non tantum homini, sed etiam equo tribuitur, quod sit animal; utiq; non tantum homini, sed equo etiam tribuendum est, quod sentiat; sic si Patres Petro ejusmodi attributa ascribunt, ex quibus necessario sequitur, Patres vi illorum attributorum affirmare de eodè, quod habeat jurisdictionem in universam Ecclesiam, & iidem Patres eadem quoq; attributa prædicent de Petro: quid aliud dici & colligi potest in majore, quam quod collectum est, nempe Patres eadem vi & necessitate eorundem argumentorum eandem quoq; jurisdictionem Petro tribuere? Deinde probat idem Antonius, quod patres Petrum & Paulum ratione officii Apostolatus simpliciter faciunt æquales. Qui autem æquales sunt in eodem officio, quomodo ratione ejusdem alter potest alteri præferri & ejus Monarcha sive Rex esse; cum hoc maximam arguat inæqualitatem?

XLVIII. Hoc probat Antonius illis Patrum dictis; quibus affirmant, Paulum æquè Apostolum Dei esse atq; Petrum;

D

trum;

trum; quibus Petrum vocant Coapostolum suum, & vicissim Paulum (non subditum sed) Coapostolum Petri, collegam Petri; itemque abundantio rem gratiam consecutum esse in omni labore Apostolico, quam ceteros Apostolos; jam autem certum est, quod in nullo alio officio, conferri possunt Petrus & Paulus, quam in Apostolatu: quia aliud, & quidem quod superius esset hoc Apostolatu, non habebant: Qui ergo aliter concludi potest quam hunc in modum: Qui in officio supremo, quo superius in Apostolis non datur, sunt æquales, & alter alteri in nullo illius supremi officii est præferendus: illorum in eo officio alter alterius Rex esse nequit: Atqui Petrus & Paulus, testantibus & docentibus Patribus, in officio Apostolatus supremo, quo superius in Apostolis dari nequit, per omnia sunt æquales, & alter alteri in nullo, quod ad supremum illud officium pertinet, est præferendus: Ergo neuter illorum alterius Rex erit.

XLIX. Hæc est vis argumenti Antonii, ad quam nihil respondet Becanus. Siquidem non tantum Antonius tollit inæqualitatem Petri & Pauli respectu virtutum, laborum & meritorum, sed, si qua esset, ipsius jurisdictionis: siquidem tollit inæqualitatem in toto supremo officio Apostolatus, proindeque in omnibus ad totum illud supremum officium pertinentibus: Ergo tollit etiam ipsam respectu illius fictæ jurisdictionis: proindeque concludit, quod si jurisdictio non includatur in Apostolatu Pauli, utique nec includi possit in Apostolatu Petri. Ratio est certa. Quia est idem officium, est supremum officium, quo superius dari nequit: diciturque, quod æqualiter id habeant uterque & Petrus & Paulus. Aut ergo dicent Papani, officium illud jurisdictionis & regium esse aliud aliquod officium, ab Apostolatu distinctum, aut esse idem. Si affirmant hoc, quod sit idem; habemus quod volumus: Sic enim ex patribus æqualitas abundè est demonstrata: Si illud: aut est superius, aut est inferius Apostolatus officio. Elige Jesuita, de optionem: Captus es: Habes. Nam si est inferius: tum vi illius officii non potest Petrus esse Monarcha & Rex Pauli. Si superius: datur in Apostolis major dignitas

gnitas Apostolatu, quod ut absurdum sæpius cum Paulo re-  
jecimus: Sic nullus Papanus statuere audebit. Ergo manet:  
quod per illam distinctionem, qua Becanus distinguit inter  
jurisdictionem & virtutes, nihil responsum sit: cum utrasq;  
Apostolatu complectatur, modo illa; sit in rerum natura.  
Contra verò rectè citavit Patres Antonius, & suam sententiam  
apodicticè ex illis demonstravit.

L. Deinde alterum probat cæteris patrum dictis: Nam  
supra in Manuali lib. 1. cap. 4. de capite Ecclesiæ §. 44. dixit.  
Becanus, *Patres tam clare, diserte & rotunde loqui de primatu Pe-  
tri, ut clarius, disertius & rotundius loqui non possint.* Id postmo-  
dum probat, non quidem ejusmodi dictis Patrum, in quibus  
disertè & explicitè habeantur hæc verba & sensus: *Petrus ha-  
buit primatum potestatis & jurisdictionis Ecclesiasticae præ aliis  
omnibus:* Sed ex talibus, quæ ponunt antecedens, ex quo hoc  
consequens, *Petrum habere istum primatum:* necessario colligen-  
dum esse sibi imaginatur Jesuita. Inter alia autem adduxit  
testimonium Cyrilli Hierosolymitani & aliorum, qui vocant  
Petrum *principem Apostolorum.* Antonius hoc loco allegat Au-  
gustinum, qui de Paulo affirmat, quod habuerit *summi Aposto-  
latus principatum.* Adducit Becanus Synodum Chalcedonen-  
sem, quæ Petrum vocat *patrem & crepidinem Ecclesiæ Catholicae  
& rectè fidei fundamentum:* Antonius hic allegat Chryso-  
stomum, qui tribuit Paulo, quod *fuerit columna Ecclesiæ, Petra, fer-  
ro & adamante firmior.* Allegat Becanus Dorotheum, Tyrium  
& alios, qui vocant Petrum *Coryphaum Apostolorum.* Antonius  
hic allegat Chryso-  
stomum, qui idem Encomium Paulo tri-  
buit, & *Coryphaum Apostolorum* celebrat. Becanus allegat Chry-  
stomum, qui Petrum dicit *Caput Ecclesiæ*, alios, qui ipsum di-  
cunt *Principem Ecclesiæ:* Augustinum, qui vocat ipsum *Caput  
fidelium.* Antonius allegat Originem, qui Paulum vocat *fun-  
datorem Ecclesiæ* (NB. non post Patrem sed) *post Christum præ-  
cipuum:* Chryso-  
stomum, qui dicit Paulum electum à DEO, cui  
res orbis mysteria cuncta (NB.) universamq; dispensationem  
concederet.

L I. Sic ergo vult argumentari Antonius: Si patres tam clarè, disertè, & rotundè probant, affirmant & confirmant primatum Petri, ut clarius, disertiusq; & rotundius illum probare, affirmare & confirmare non possiat, quando nimirum ipsum vocant *Caput Ecclesie, Petram & crepidinè Ecclesie Catholicae; principem Apostolorum, Coryphaeum Apostolorum, principem Ecclesie, caput fidelium*: utiq; æquè clarè, disertè & rotundè probabunt & confirmabunt, eundem primatum potestatis & jurisdictionis de Paulo, quando eadem ipsi Encomia tribuunt, dicentes & disertè attestantes, Paulum esse *fundatorem Ecclesie post Christum præcipuum, electum à DEO, cui res orbis, mysteria cuncta, universamq; dispensationem concederet, esse Coryphaeum Apostolorum, esse Columnam Ecclesie, Petram, ferro & adamante firmiorem, habuisse summi Apostolatus principatum &c.* Atqui verò Pontificii nolunt concedere ex Encomiis, à patribus Paulo attributis, concludendum esse, ipsi competere Primatum potestatis & jurisdictionis: Quomodo ergo verum erit, Patres eadem Encomia tribuentes Petro, tam clarè, disertè & rotundè loqui de Primatu Petri, ut clarius, disertius & rotundius loqui nequeant? Quid autem respondet Becanus? Distinguit inter jurisdictionem & virtutes. Pudeat: cum nihil ad rem dicat, & principium petat. Quomodo enim probabit, Encomia illa, Petro tributa, jurisdictionem diserte probare, de Paulo verò prædicata, virtutes arguere?

L II. Progreditur ad secundam responsionem & dicit, *alias sibi patres essent contrarij.* Non hoc probabit sequi ex allegatis testimoniis, si primatus Petri negetur. Sed planum est, ipsos optimè sibi constare. Concedimus quidem libenter, tria ista inter se non cohærere, 1. *Paulum præcellere Petro jurisdictione.* 2. *Paulum parem esse Petro jurisdictione.* 3. *dubium esse, uter præcellat jurisdictione*: Non enim opus est, ut cohærant. Nam committitur rursus petitio principii. Probavit enim Antonius, quod, quemadmodum Paulo his dictis patrū nulla tribuitur jurisdictione: sic neq; aliis similibus patrū dicitur tribuatur Petro jurisdictione. Quare, inquam, non est necessarium

sarium ut hæc cohæreant ratione jurisdictionis; cum ista tota remota, & sic planè non Ens sit: de quo nihil dicitur, nihil probatur, nihil negatur, ac proinde cui nihil cohæret.

LIII. Porrò omninò rectè citavit Antonius hæc dicta in eo sensu, in quo locuti sunt patres: Quia igitur in sensu illorum dictorum, nulla est jurisdictio comprehensa; non etiam ad stabiliendam illam vel in Petro vel in Paulo; sed potius ad negandam sunt adducta: Quocirca non sunt extraneæ, sed convenientissimè adducta.

LIV. Concedimus etiam libenter, quod illa tria, quæ ultimò recenset Becanus, rectè respectu & Petri & Pauli cohæreant; Id enim probare voluit Antonius. Verum porrò demonstrare debuisset Becanus, quod illa ipsa attributa, quæ in allegatis patrum dictis continentur, quando Petro tribuuntur, demonstrent, Petro concessum, & datum esse à Christo primatum potestatis & jurisdictionis. Sed altum hic silentium. Faciet ad Calendas Græcas.

LV. Pergit nunc Becanus ad specialiora §. 62. *Hinc omnia testimonia, quæ adduxisti, facillè conciliantur & explicantur. Næ Irenæus, Clemens & Gelasius faciunt Paulum Petro aequalem, si præcisè spectes Apostolatam. Uterq; enim fuit Apostolus Christi. Rectè igitur Paulum vocant Coapostolum Petri, & Petrum Coapostolum aliorum. Eodem sensu Augustinus Paulum vocat collegam Petri. Quando verò idem Augustinus præfert Paulum, loquitur de laboribus, ut ipse se explicat. Abundantiorem, inquit, gratiam consecutus est in omni labore Apostolico, quam ceteri Apostoli. Quod etiam Paulus de se fatetur, 2. ad Corinth. ii. v. 23. Ministri Christi sunt: plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum &c.*

LVI. Concedimus hæc omnia. Præcisè autem spectari debet Apostolatus in utroque, Petro & Paulo: quia illud est summum officium, cujus respectu uterque est in summo honore, autoritate & dignitate. Concedimus etiam quod Paulus præferatur quoad labores Petro; sed hoc non

D 3

suffi-

sufficit: Probandum esset, quod adhuc alius detur respectus  
vel etiam officium in Petro & Paulo, quo ille, tanquam Mo-  
narcha & Rex, huic, tanquam subdito, præferatur. Hoc,  
non illud, probandum erat, sed aqua hæret Jesuitæ: non  
potest.

LVII. Pergit Becanus §. 63. *Origenes tibi contrarius est, non nobis. Nam cum ait: Paulum esse præcipuum fundatorem Ecclesiarum post Christum: apertè insinuat Christum esse principalem Ecclesiæ fundatorem, quod tu negas. Contendis enim Ecclesiam, non à Christo, sed ab Apostolis fundatam esse post Christi ascensionem, ut lib. 1. cap. 1. ostensum est. In eo autem quod Paulum constituit proximum post Christum, præferendo illum aliis Apostolicis in fundatione Ecclesiarum; non contradicit nobis. Fatemur enim Paulum plus laborasse, quam Petrum; & Plures Ecclesias particulares ab illo per prædicationem Evangelij fundatas esse, quam à Petro.*

LVIII. Sit Origenes contrarius Antonio, non tamen est contrarius veritati, quam nos defendimus: quod faciat Paulum fundatorem Ecclesiarum (non post Petrum sed) post Christum præcipuum. Eo enim apodicticè infertur, quòd Paulus ratione fundationis Ecclesiæ & principatus Petro non cedat; sed si non ipsi superior, omninò tamen æqualis sit, ut ipse Becanus contra se ipsum fateri cogitur. Nam si plures sunt fundatæ Ecclesiæ à Paulo, quam à Petro, plures etiam sunt rectæ: Nam quas fundabat, illas etiam regebat. Interim neque Origenes Antonio contradicit. Nam loquitur Antonius de immediatâ fundatione, non mediata, & dicit, quod post ascensionem Christus nullam Ecclesiam immediatè fundaverit: fundasse verò illum omnes mediantibus Apostolis, id non negabit.

LIX. Pergit Becanus §. 64. *Nazianzenus sic habet: Hunc morbum ( id est studium inanis gloriæ ) curare ac sistere Petri alicujus est aut Pauli, magnificorum Christi discipulorum, eorum videlicet, qui una cum sermonis dispensatione etiam Charisma acceperunt, & omnibus omnia fiunt, ut omnes lucrifaciant. An hinc putas col-*  
ligi



ligi posse, Paulum Petro fuisse æqualem in jurisdictione? Parum sanus es, si hoc putas. Addit Nazianzenus: quoniam autem Pauli, & illi similibus mentionem fecimus, relictis reliquis omnibus, qui vel secundum legislationem, vel Prophetiam, vel militarem ducatum, vel aliam consimilem dispensationem populo præfuerunt, quales fuerunt Moyses, Aaron, Josue, Helias, Heliseus, Judices, Samuel, David, Multitudo Prophetarum, Joannes, duodecim discipuli, & qui illos sunt subsequuti, &c. his, inquam, relictis omnibus, solum Paulum exempli gratia proponamus. Non video, quid ex his verbis velis extundere. Fateor, quosdam ex illis præfuisse populo secundum legislationem; quosdam secundum prophetiam; alios secundum ducatum militarem; alios secundum aliam dispensationem, sed quid tum? An ideo Petrus & Paulus æquales erant in potestate & jurisdictione? Non sequitur.

LX. Male disputat noster Becanus. Fingit sibi adversarium, qui conetur probare, Paulum Petro fuisse æqualem primatu jurisdictionis & potestatis. Sed ejusmodi antagonistam non habet in Antonio: quippe qui suis argumentis demonstrare conatur, nullam talem jurisdictionis potestatem, quam fingunt Papani, dari inter Apostolos, & sic neque in Petro, neque in Paulo: quod ergo negat & non esse demonstrat, quomodo probare poterit æquali modo fuisse in Petro & Paulo: cum non Ens sit, quod neq; est, neq; inest?

LXI. Progreditur Becanus ad Cyrillum §. 65. At Cyrillus Petrum & Paulum præfectos Ecclesiæ vocat. Et hoc fateor. Adde, etiam Timotheum, Titum, Polycarpum fuisse Ecclesiæ præfectos. An igitur omnes in eo genere æquales? Non sequitur. Nisi valeat hæc similis consequentia: Omnes Episcopi in Anglia sunt præfecti Ecclesiæ: Ergo omnes sunt æquales: Ergo Archiepiscopus Cantuariensis nihil habet præ cæteris. Tu ipse vide, an hoc legitime sequatur.

LXII. Concedimus, quod præfecti absolutè possint esse inæquales: Sed aliud est, quando duo conjunguntur, & simul adducuntur in Ecclesiæ præfecturâ, ut hic fit: ibi certè

certè non inæqualitatem, sed necessariò æqualitatem arguit. Si enim quis in Papatu diceret, errorem illum coarguens, duo viri boni hic prælati, Pontifex Romanus, & Diaconus Coloniensis, Ecclesiæ præfecti: jurarem, id Papam Romanum pro injuria accepturum: quod in præfecturâ Ecclesiæ conjungeretur cum aliquo Ecclesiæ Diacono. Quilibet ergo Jesuita vider, si non planè cæcus fuerit, argumentum Antonii legitimè concludere.

LXIII. Respondet porro Becanus ad autoritatem Ambrosii §. 66. Ambrosius cum dicit: Una enim gratia fulgebat in his, quos spiritus unus elegerat: loquitur de Paulo & Barnaba, qui simul à Spiritu Sancto electi erant ad ministerium, Act. 13. 2. Ministrantibus autem illis Domino & jejnantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumsi eos. Quod testimonium explicans Ambrosius sic scribit: Paruerunt ergo Paulus & Barnabas Spiritui Sancto imperanti. Et post pauca subdit: Una enim gratia fulgebat in his, quos spiritus unus elegerat. Facta hac collatione inter Paulum & Barnabam, pergit conferre Paulum cum Petro, his verbis: Nec Paulus inferior Petro, quamvis ille Ecclesiæ fundamentum & hic sapiens Architectus, &c: Ubi Petrum & Paulum facit æquales in Apostolatu, non tamen in jurisdictione Ecclesiastica. Pergit: Nec Paulus indignus Apostolorum collegio, cum primo facillè conferendus, & nulli secundus. Nam qui se imparem nescit, facit æqualem. Loquitur de laboribus, in quibus Paulus nullo fuit inferior. 2 Corinth. II. 23.

LXIV. Omnino loquitur de laboribus: si autem in illis nulla fuit, & sic nec Petro, inferior: ergo neq; illo inferior fuit ratione gubernationis Ecclesiæ: Nam & illam laboriosissimam esse quis nescit?

LXV. De autoritate Leonis pergit §. 67. Leo Papa nihil aliud dicit, quam Petrum & Paulum esse duo Ecclesiæ lumina. Quis negat? At inter lumina, unum alio potest esse majus. Quod etiam fatetur Leo serm. 3. de Assumptione suâ ad Pontificatum, ubi apertè asserit, Petrum omnibus Apostolis, & cunctis Ecclesiæ Patribus præponi.

LXVI. So-

LXVI. Sophistā agit Becanus, committens fallaciam divisionis: Non n. loquitur Leo simpliciter de duobus luminibus, sed duobus luminibus oculorū: ubi certè, quando unum altero majus est, monstrosum est. Si ergo Leo intellexisset Petrum majus lumen, & Paulum minus, monstrum fecisset ex corpore Ecclesiæ. Ergo necessario Leonis verba sunt de æqualibus luminibus intelligenda, quales sunt duo oculi in uno capite humano, quando sani sunt, & non vitio laborant. Quod autem, sui forsan oblitus, Leo alibi Petrum omnibus, & Apostolis & Ecclesiæ patribus, præponit, putamus illud fecisse non ut orthodoxum patrem, sed ut Papam, quem etiam hic primatus vexavit inanis. Intem nos illud intelligere possumus cum exceptione Pauli, ne cogitur sibi contradicere.

LXVII. Tandem de Chrysofomo addit §. 68. *Chrysofomus aliqua ex iis, quæ tribuuntur Petro, tribuit etiam Paulo; sed non omnia. Nam ipsemet tribuit Petro Primatum Ecclesiæ, quem Paulo non tribuit. Verba ejus cap. 4. citata sunt. De cura omnium Ecclesiarum, quam tribuit Paulo, dictum est ad initium hujus objectionis.*

LXVIII. Jejuna est hæc responsio: verba sunt clara: *cumbat cum sollicitudine, quæ totius mundi*: duplex illi cura erat pro orbe terrarum &c. Quæ certè regimen, quod datur in Ecclesia, non excludunt: jurisdictionem verò papisticam, fictam illam & falsam, iis non contineri fateor, quia non datur. Quod alicubi primatum Petro tribuat, concedimus; ut verò Petro tribuendus est, & competit, sic quoq; hoc loco Paulo adscribit, nempe Petro inter Judæos, Paulo inter gentes: uti id supra est demonstratum.

LXIX. Ultimò concludit §. 69. *Ex iis, quæ hætenus dicta sunt, duo colligo. Primo, Patres in astruendo Petri Primatu, nobis adstipulari. Secundo, te, qui oppugnas Primatum Petri cum aliis rebellibus, sæpe tibi ipsi contrarium esse: nunc hoc, nunc illud asserere, prout occasio fert; non prout veritatis studium exigit. Deinceps de Pontifice Petri successore dicendum est.*

E

LXX, Ni-

LXX. Nihil addo : penes Christianum candidum & veritatis amantem, lectorem, sit iudicium, quibus Patres ad- stipulentur. Nos certi sumus in conscientia nostra, falsum loqui & gloriari Becanum : neque illos, qui Primatum Petri oppugnant, sibi contradicere, & pro libitu dicta Patrum adducere & torquere : Sed illud verissimè, rectissimè & convenientissimè in ipsos Jesuitas retorquere. Sed, ut dixi, penes æquum lectorem iudiciū esto, non penes perversos & obcæcatos Jesuitas. Quid autem dicturus sit porro de Pontifice, in sequenti collegio cum DEO, videbimus & examinabimus.

FINIS.

















99 A 6900

ULB Halle 3  
002 622 092




SB

Repro

VD 77







B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Farbkarte #13

65

TERTII  
onfessionem  
XXXII.

M.A.

IS

ICVLI VII.

lesia,

quod ille de-  
ne Petri & Pauli.

VVittebergensi,

DE

TINI S.S. Th.

ario, Facult. Theol.

rcis Præposito,

NTE

/ Praefnic. Sil.

gii Veteris

uarij.

R G Æ,

R O T H I, Acad. Typogr.

XXXI.

